



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad hæc Evangelii verba. Tu quis es? Tres hominum status ad perfectionem
tendentium, his tribus verbis, Tu Quis Es? eò valde promoventur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

IN EADEM DOMINICA
TERTIA ADVENTVS.
AD HÆC EVANGELII VERBA.

Tu quis es? Ioan. I.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Tres hominum status ad perfectionem tendentium, his tribus verbis, Tu quis es? eò valde promoventur.

RATIO EST, Quia tres hominum status, qui dicuntur Incipientium, proficientium, & perfectorum, tunc valde promoventur ad perfectionem, quando à via purgativa facilis & solidus fit progressus per illuminativam, ad eam qua dicitur unitiva.

Sed talis progressus fit facilis & solidus per illa tria verba.

Ergo illis tribus verbis, Tu quis es? tres hominum status valde promoventur: ac proinde cerebro sunt usurpanda.

22. q. 24.
A. 9.

P RIMA propositio nullam difficultatem habet: Si quis plura tamen de illa desideret; Videatur, Sanctus Thomas loco, hic annotato, & quæ infra ex eo referuntur.

S E C U N D A sic breviter demonstratur: primo quidem in via purgativa qua se Incipientes præteritis purgant peccatis, nihil aptius ad illam peccatorum purgationem ex vera contritione cum gratia faciendam, quam si quis sibi serio & attente dicat, Tu quis es, qui Deum offendisti? Tu creatura Creatorem! Tu servus Dominum! Tu filius Patrem! Tu homuncio vilissimus summum Deum! Tu innumeris preventus beneficiis Benefactorem eximium! Tu quis es? Tu Christianus, tu Religiosus, Tu Sacerdos Christum cruci affixisti! Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique! Tu vero homo unanimes, dux meus, noxius meus qui simul mecum dulces capiebas cibos. Hæc bene expensa mirum quantum efficiant in animis tantillum præparatis. Varij

Pf. 54.

sunt autem scripturæ loci unde tales affectus evantur: Quid est quod debui ultra facere vinea mea, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Ego te plantavi, vineam elestem: Omne semen verum, quomodo ergo conversa es mihi in prævium, vinea aliena.

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus color optimus! filij Sion inelyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea! Candidiores nazaræi sicut nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchiores, denigrata est super carbonem facies eorum! Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi.

D E I N D E vero in Via illuminativa qua proficientes crescunt de virtute in virtutem, miræ profiliunt in eorum animum illustrationes ex his verbis Tu quis es, ad omnes actus suos virtute temperandos. Tu quis es? non bellua, ut vivas cæco naturæ impetu, sed homo ratione præditus, ut intelligas universa que agis & quocumque verteris, sicut Salomonem Filium, David moriens admonebat. Tu quis es? non paganus, ut civili tantum & politica ratione vivendi vivas; sed Christianus, ut supernaturali lumine & motivo movearis. Tu quis es? non agrestis non rusticus, non rerum divinarum ignarus, sed in scholis eruditus & ad omnem pietatis formam educatus. Tu quis es? non sæcularis, non laicus non vili additus mancipio, non necessariis vitæ subsidijs comparandis, non importunis negotiantium curis pressus; sed segregatus ab omnibus, ut quod unum est necessarium cogites & perficias; Nonne hinc lucidæ & ardentes ad omnes Virtutis actus in illuminatæ via succenduntur faces?

Reges gentium, aiebat Dominus, dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos beneficii vocantur, Vos autem non sic, Quasi dice-

ict,

ret, spectandus cuique est status suus, consideranda vocatio & persona, dicendumque sibi, Tu quis es? & dicenti virtus respondeat.

SIC denique in Via unitiva, procedendo semper ad perfectiora, ex consideratione sui, sive quoad personam, sive quoad statum, sive quoad locum, vel ad tempus, vel ad acceptas gratias, unde accendaris ad plures aut sublimiores Charitatis, Resignationis, Devotionis, & Divinae Unionis actus. *Quis ego sum, aut qua est vita mea, aut cognatio Patria mei, ut siam gener regis? Quid est homo quia innotuisti ei, aut Filius hominu quia reputas eum? O homo tu quis es qui respondens Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? Quae verba multum valent ad perfectam iudicii & voluntatis humanae cum divina subiectione: nec parum promovent huius perfectae subiectionis frequenter proximiora verba saepe repetita, Tu quis es? Tu quis es, qui divina scrutaris arcana? Tu quis es, qui te putes intelligere quae soli Deo nota sunt? Tu quis es, qui Deo sic volenti, sicque ordinanti, vel tantisper contradicas? Tu quis es, qui respondeas tot acceptis beneficiis & gratiis? Tu quis es, postquam*

omnia feceris, nisi servus inutilis?

EX quibus sic consideratis patet aperte Veritas de tribus illis verbis, pro triplici hominum statu seu perfectionis, in qua tantum proficies quantum a te deficies: tantumque a te deficies, quantum attentè consideraveris, quod ad-monebat S. Bernard. Papam Eugenium, *Quid, qui & qualis sis? Quid in natura; Qui in persona Qualis in moribus. Quid, verb.g. homo: Qui? Papa vel summus Pontifex; Qualis? benignus, mansuetus, vel quidquid tale;* Quo de argumento ibi fuit & in Cantica, unde nos infra in tertia parte aptius. Satisque modo sit quod sanctus Augustinus scribit: *Scito unde venisti, aut quo vadu: quomodo vivu: quantum proficui, vel deficiu: quam longe es à Deo vel propa, non inter vallu locorum, sed similitudine vel dissimilitudine morum, Scito quomodo homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, vivere poena, mori necessesse.*

2. de consid. 4. & sequentib.

Serm. 36. l. de spir. & anima, c. 51

Vide de hac nostri cognitione in 3. parte Feriali tertiae Dominicae undecimae post Pentecosten.

1. Reg. 8.

Ps. 143.

Rom. 9.

Luc. 17.

IN EADEM DOMINICA.

AD HÆC EVANGELII VERBA.

Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam

Domini, Ioan. 1.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Vox clamantis in deserto post peccatum, Peccati conscientia Peccatori audienda.

SENSUS EST, Quod sicut post peccatum fit anima peccatoris quoddam desertum, quia deseritur ab omnibus suis bonis, & nullius capax est meritis; sic in illo deserto fit quaedam vox clamantis ad peccatorem, quae est ipsa peccati perpetrati conscientia, quam peccator non minus debet audire ad dirigendam & parandam viam Domini,

quam Judæis erat audiendus sanctus Ioannes.

RATIO EST, Quia idcirco à Iudæis erat audiendus sanctus Ioannes, quod ita ordinatum esset, ut prius à Ioanne baptizarentur Baptismo Poenitentiae, ac deinde Christum reciperent.

Sed non minus est ordinatum ut peccator nudiat conscientiam de peccato poenitendo & deponendo admonentem, ut sic Christum recipiat.

Ergo non minus eam debet audire quam à Iudæis esset audiendus sanctus Ioannes.

F

Quod